



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Duplex ira Dei, homines per pœna[m] corrigentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

malis liberandis; ita multò magis eadem potentia eminet, dum per morborum flagella, eosdem sanat, & à vitijs ad frugem acque in viam virtutis reducit. Potens enim sapientia, & sapiens potentia est, per ipsos morbos sanare. Immò clemens iustitia est, ita affigere lecto, & affligere, vt morbus ipse fiat medicina. Nam etsi propter primi hominis peccatum omnes, & multi etiam ob sua peccata morbis mortique sint objecti; ita tamen ægrotant, vt ipsa sua infirmitate, dum pœnam tolerant, culpæ admoneantur, maleque acta corrigant; vel si ipsi sunt obstinati, alios exemplo suo doceant sapere.

CAPVT XXVII.

Undecima morborum causa, Bonitas & Misericordia DEI, peccatores, per morbos, ad pœnitentiã vocantis, aut à peccatis expiantis.

I.

HX pœna humano generi, tam in primo parente, quàm in posteris eius inflictæ magnitudine clarè apparet, non solum quanta sit peccati iniquitas, sed etiam quantum illa DEO displiceat, qui peccantibus tantopere irascitur, vt non solum sæpe singulos transgressores peculiaribus morbis castiget, verum etiam, ob vnius hominis delictum, totam plectat vniuersitatem. Duo autem significat ira DEI. Primò, per iram & indignationem, inquit Damascenus, intelligimus voluntatem ipsius, odio vitij flagrantem, illudq; auersantem: nam & nos ea, qua cum voluntate nostra pugnant, odio habentes in iram prorumpimus. Deinde ira ipsam de impijs sumptam vindictam significat, vt docet S. Augustinus. Quare Didymus monet, iram non esse affectionem, aut perturbationem in DEO manentem, cum Moyses dicat: *Misisti iram tuam, qua deuorauit eos; nam ira, qua affectio est, non mittitur: est enim irascibilis anima facultas: sed iram vocat, miseriarum ac dolorum in malos inductionem.* Auersatur igitur DEVS peccatù, & illud grauissimè punit, vel, vt non peccemus, vel, si peccauimus, vt ardentibus votis iram illius mitigemus, & dicamus, cum Dauide: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me.* Idcirco enim pœnas miratur, & infert, vt alios à peccato

Damascen.
lib. 3. cap. 14.

S. Augustin.
lib. 3. contr.
aduersarium
legis & Pro-
phetar. c. 20.
Didym. in
Psal. 6.
Exod. 15.

Psal. 6. 1.

peccato seruet, alios emendet. *Non enim DEVS, inquit Clemens, irascitur (more hominum solam vindictam cogitantium) sed per suam in homines beneuolentiam, a plurimis quidem abstinere hortatur. Bona autem haec est ars, terrere, ne peccemus; aut verberare, ut respiscamus.* Quo pacto narrat Eusebius, quemdam Natalem in haeresin prolapsum, ab Angelis per verbera reuocatum. *Natalis deceptus frequenter admonebatur in somnis: sed cum negligentius susciperet visiones, a sanctis Angelis per totam noctem verberatus, & poenis grauius excruciatum, mane consurgens cilicio se induit &c.* Ad eundem modum DEVS, cum irasceret humano generi, morbis ac sententia mortis illud percussit; sed paterno affectu percussit, simul misericordiae suae recordatus, ut homines se percussos esse sentientes, ad poenitentiam confugerent, poenamque conuerterent in virtutum ac meritorum occasionem. Itaque quidquid aduersi nos sauciat, virga est, & baculus pastoris oves suas admonentis, ut ab errore se in viam reponant. Sed maxime morbi id agunt. *Multa flagella peccatoris; flagellum est calumniator, flagellum hostis, ut de Attila dicebatur; sed calumniae potius irritant homines, & ad vindictam prouocant; hostes & bella plerumque peiores faciunt mortales: morbi, qui mortem secum trahunt, cogunt de futuris cogitare.*

Sicut ergo Israëlitae tunc Aegyptum deserere ac Pharaonem fugere optarunt, quando dixerunt: *Palea non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famulitui flagellis cadimur, & iniuste agitur contra populum tuum;* ita & mundum, & vitia, & demonem relinquendum censent mortales, quando se morbis vident iuste flagellari. Quam citò Pharaon alius Abram uxorem suam reddidit, quando *flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai uxorem Abram?* Quomodo flagellauit, nisi morbis? Quod & Abimelech rex fecit, mortem timens, si alienam seruaret uxorem. Ezechias quoque quando aegrotauit, & audiuit ab Isaia se moriturum, *conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum.* Numquam dignata fuisset uxor Ieroboam, posita purpura, ac mutatis vestibus, ad Abiam Prophetam in Silo proficisci, nisi Abia filius eius aegrotauisset. Nempe sapienter dixit Dauid: *Imple facies eorum ignominia,*

Clem. lib. 3.
Pxdagog. c. 8.

Euseb. lib. 3.
hist. Eccl. sub
finem.

Psal. 33. 10.

II.

Exod. 5. 15.

Gen. 12. 17.

Gen. 20. 4.

4. Reg. 20. 2.

3. Reg. 14. 4.

Psal 82. 17.